FLORA.

№ 9.

Regensburg. 7 März **1853.**

Inhalt: Original-Abhandlung. Massalongo, de Gramineis in statu fossili brevis commentatio. — Literatur. Quetelet, Phénomènes periodiques naturels. Règne végétal. — Kleinere Mittheilungen. Schultes, über Papier aus Daphne Laureola. Ueber das Klima und die Vegetation in New-York. Die Fortsetzung von Endlicher et de Martius Flora brasiliensis. — Anzeigen. Skofitz, Oesterreichisches botanisches Wochenblatt. Huet du Pavillon, Plantes des Pyrenées.

De Gramineis in statu fossili brevis commentatio. Auctore Prof. A. Massalongo.

(Cum tabula III.)

Liquet nondum, ad quam periodum geologicam referri omnino debeat prima Graminearum apparitio. Olim Sternberg et nunc F. Braun ad formationem liasicam, Brongniart, Lindley et Hutton ad carboniferam rejecerunt. Dubii ipsi tamen dubium reliqueruut, num reipsa ad *Gramineas*, num ad *Palmas*, num denique ad aliam Monocotyledonum familiam referendae essent exiguae illae reliquiae, quibus perscrutandis tantam operam dederunt.

Testari igitur possumus epochis tantum tertiariis signa non dubia suppetere apparitionis harum plantarum, cujus quidem certitudinis gratias habere debemus Clar. Prof. Unger, qui primus omnium reperit, cognovit, certisque indiciis monstravit Gramineam fossilem depositionibus eocenicis Liburniae, cujus non modo caulem, verum etiam folia et inflorescentiam descripsit. (*Bambusium sepultum* Ung.)

Verum quidem est, ante Prof. Vindobonensem Clariss. Brongniart in depositionibus tertiariis Parisiensibus vidisse nonnullos caules, magnam cum Gramineis similitudinem prae se ferentes: sed haesit anceps illine familiae, an *Cyperaceis*, an *Junceis*, an ipsis *Orchideis* essent tribuendi. (Brongn. Prodr. pag. 132.)*)

Nullus itaque errandi locus erit, si epochis tertiariis, et ipsi proprie periodo eocenicae demus primam apparitionem *Graminearum* in terra.

*) Sciunt omnes clar. Sternberg putasse se vidisse inflorescentiam *Gramineae*, affinis cum genere *Elymo*, in rhizomate filicis, et descripsisse sub nomine *Germariae elymaeformis*.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05968-0133-3

Superioribus feliciores evaserunt indagines nostrae in formationibus geologicis agri Veneti, in quibus fortuna contigit detegere inflorescentiam Gramineae, ita servatae, ut nullum superesset dubium, cui familiae adscriberetur.

Est fragmentum (fig. 1.) quodam longitudine duorum circiter pollicum, quorum unus constituit longitudinem partis caulis, nodis omnino carentis, alter longitudinem paniculae, quae constat quatuor ramusculis primariis, e quibus prodeunt dichotomi ramusculi quidam minores (pedunculi) duos plerique flosculos singuli praeferentes.

Damno id quidem est, quod exemplar omni prorsus foliorum careat indicio, quamobrem, prout de caeteris plantis fossilibus accidit, hae quoque tanti pretii reliquiae illustrari omni ex parte non possunt ullo modo.

Habitu est quo *Aira* et *Agrostis*, et si e caulis exilitate judicium tuleris, Gramineam perexiguam fuisse existimabis, quae verosimiliter loca humida et umbris consita diligebat: flosculi autem, qui in exemplari 12 vel 14 numerantur, primo intuitu videntur tribus valvis constare, varie superpositis: id est glumae tres apparent, quae tamen, diligenti examini validisque inspicillis subjectae, duabus valvis instructae cognoscuntur, et tertia, quae est aliquanto brevior, glumellam tantummodo patefacere. Nullum apparet indicium tum seminis, tum pistilli, et staminum, praeter levissimam quamdam et acutissimam aristam, quae valvam exteriorem conterminat, quae tamen aliquando mutica etiam est. Glumella est univalvis, valvae impares (vide fig. 1. b. reaedificatam) et lanceolatae, haud dissimiles ab iis, quae ut dixi videntur in *Airis* et *Agrostibus* hodie vigentibus.

Hujus fossilis ratione habita propono genus *Agrostidium*, ut nempe memoretur affinitas quam offert cum Agrostibus viventibus. Accipe igitur ejus descriptionem, post quam enumerationem omnium Gramineaeum fossilium hactenus cognitarum subjici curavi.

Ordo Gramineae.

1. *Agrostidium* nov. gen.

Panicula pedicellis dichotomis; gluma bivalvis, valvis lanceolatis subinaequalibus, exterior acuminato-aristata vel mutica. Glumella univalvis.

1) *Agrostidium priscum* Massal. fig. 1. a — b.

Habit. In schisto margaceo eocenico *Agri Vicetini* (Italiae). (Chiavon). Ex collect. Massal.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05968-0134-8

II. *Bambusium* Ung.

Caulis simplex (?) arborescens, arundinaceus, articulatus, articulis incrassatis remotis. Inflorescentia paniculata. Ung. Gen. et. sp. pl. foss. pag. 411. — Massal. Sulle piante foss. del Vicent. pag. 73.

2) *Bambusium sepultum* Ung.; caule tenuissime striato fistuloso? pollicem lato, internodiis pedalibus et ultra, panicula diffusa. Ung. Chl. prot. pag. 128. Gen. et. spec. loc. cit. — Pfl. von Sotzka pag. 136. — Massal. loc. cit.

Habit. In schisto calcareo-argillaceo ad *Radobojum* Croatiae, ad *Sotzka* Stiriae, nec non ad *Chiavon* Agri Vicetini.

III. *Culmites* Brongn.

Caulis ramosus, crassus, rhizomatosus, residuis foliorum amplexicaulium annulatus, nec non radicibus v. earum loco impressionibus suborbiculatis irregulariter distributis obsessus. Brongn. prodr. pag. 136. — Ung. Gen. et. sp. pag. 310. — Massal. Schizzo etc. pag. 51. — Sulle piant. foss. del Vicent. pag. 75.

3) *Culmites anomalus* Brongn.; caule simplici crassiusculo, annulis approximatis vaginato, vaginis striatis denticulatis cicatricibus orbicularibus sparsis. Brongn. descr. geol. des env. de Paris pag. 359 tab. 11. fig 2. — Ann. du Mus. XV. pag. 382 tab. 23. fig. 15. — Delpine Bull. scienc. nat. pag. 372. — Ung. Gen. et. spec pag. 311. — Iconographia pl. foss. pag. 14. tab. V. fig. 2—4.

Habit. In stagnigena calce silicea ad *Lonjumeau*, prope *Lut. Parisiorum*, in stagnigena marga ad *Chambrey*, nec non ad *Hlinik* Ungariae.

4) *Culmites Goepperti* Münster.; rhizomate incrassato subramoso, annulis approximatis notato, cicatricibus radicum subaequalibus orbicularibus irregulariter distributis, radicibus simplicibus cylindricis, fasciculis vasorum in parenchymate stricto aequabiliter distributis, majoribus internis, minoribus externis. — Münst. Beitr. V. pag. 103 tab. 3. fig. 1 —3. tab. 4. fig. 1 — 3. — Ung. Gen. et. spec. pag. 311. Iconogr. pag. 13. tab. V. fig. I.

Syn. *Sigmaria* (?) Rossm. Beitr. I. pag. 41 tab. 12. fig. 58 *Palmacites annulatus* Schloth. Petref. pag. 396 — tab. 16. fig. 5.

Habit. In arenaceo lignitum prope *Littmitz* et *Altsattel* Bohemiae, ad *Runam* propa Gracium Stiriae, ad *Hlinik*, *Lehotka*, *Kremnitz* Ungariae.

5) *Culmites Zignoanus* Massal. fig. 2.; caulibus erectis gracilibus trichotomis 2 — 3 lin. latis: articulis aequalibus, striis

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05968-0135-4

parallelis vix distinctis longitudinaliter notatis. Massal. Schiz. geog. pag. 51. — Sopra le piant. foss. del Vic. pag. 75.

Habit. In schisto margaceo eocenico agri Vicetini *(Salcedo)*. Ex Coll. Zignoana.

6) *Culmites? equisetimorphus* Massal. fig. 3.; caule erecto, solidiusculo, quadrichotomo, articulis aequalibus parallelis decrescentibus. Massal. Schiz. pag. 51.

Habit. In schisto calcareo eocenico M. *Bubulcae* (vulgo Bolca). Ex collect. Gazolana.

Observ. Ad descriptionem duarum harum specierum vide meum opus *Schizzo geognostico* etc. pag. 51, ubi exprimitur dubium, possintne hae duae species pertinere ad radices *Zosterae* vel caudices *Equiseti*. Nunc tamen asserere tuto possum, nihil prorsus cum *Equisetaceis* habere commune. Fortasse *Culmites equisetimorphus* ad *Zosteritem* potius pertinere poterit.

IV. *Phramigtes* Trin.

7) *Phragmites* ..... Bruckman.

Habit. Locus natalis mihi ignotus.

V. *Donax* Beauv.

8) *Donax Oeningensis* A. Braun.

Habit. In schisto margaceo ad *Oeningen.*

VI. *Bajera* Sternb.

Caudex arborescens articulatus, articulis Bambusarum more incrassatis. Sternb. Vers. 1. 4. pag. 28. — Ung. Gen et. sp. p. 34.

9) *Bajera scanica* Sternb. loc. cit. p. 28 tab. 47. fig. 2. — Ung. Gen. et. spec. pag. 312.

Habit. In arenaceo ad *Hoer* Scaniae.

VII. *Poacites* Brongn. (castig.)

Folia linearia, parallelinervia, nervis transversis nullis. Brongn. prodr. pag. 128. — Endl. Gen. plant. pag 257.

10) *Poacites arundinacea* Massal.; foliis linearibus, membranaceis, integerrimis, circiter 7 m. m. latis, nervis inaequalibus, approximatis, tenerrimis.

Syn. *Culmites arundinaceus* Ung. — Ettingsh. Foss. Flora von Wien pag. 9 tab. 1. fig. 1.

Habit. In schisto margaceo ad *Vindobonam.*

11) *Poacites ambigua* Massal.; foliis subrigidis, integerrimis, circiter 4 — 10 m. m. latis, nervis aequalibus 2 — 3. m. m. remotis, plicatisque.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05968-0136-0

Syn. *Culmites ambiguus* Ettingsh. loc. cit. p. 10. tab. 1. fig. 4. 5

Habit. In schisto margaceo ad *Ingersdorf* prope Vindobonam.

12) *Poacites? cocoina* Lindl. et Hutt.; foliis v. potius foliolis duos pollices latis, nervis supra exculptis, infra prominulis, lineam a se invicem distantibus. — Lindl. et Hutt. Foss. fl. II. tab. 142. B. — Ung. Gen. et spec. pag. 312.

Habit. In schisto lithanthracum ad *Lancashire* Angliae.

Observ. Melius forsan Palmis adnumeranda. Ung. loc. cit.

Species nondum descriptae.*)

13) *Poacites lanceolata* Brongn. Prodr. pag. 137. — Ung. Gen. et spec. pag. 312.

Habit. Terra carbonifera.

14) *Poacites aequalis* Brongn. loc. cit. — Ung. loc. cit.

Habit. Cum priore.

15) *Poacites striata* Brongn. loc. cit. — Ung. loc. cit.

Habit. Cum prioribus.

16) *Poacites latifolia* Göpp. Syst. fil. foss. pag. 439.

Habit. In schisto lithanthracum *Silesiae.*

17) *Poacites recentior* Ung. loc. cit.

Syn. *Triticum?* .... A. Braun. Manuscr.

Habit. In schisto calcareo argillaceo ad *Oeningen.*

18) *Poacites Arundo* Fr. Braun.

Habit. In formatione liasica (locus natalis mihi ignotus.)

19) *Poacites Paspalum* F. Braun.

Habit. Cum priore.

20) *Poacites Nardus* F. Braun.

Habit. Cum prioribus.

Datum Veronae XI. Calendas Decembris 1852.

---

*) Fateri debeo notas mihi nomine tantum esse species, quarum descriptionem hic non exhibeo. Nescio an hujus rei culpa tribuenda sit ignorantiae meae, an difficultati, quae quotidie augetur, ut invicem naturae studiosi utantur, quae difficultas ex eo oritur, quod in more (heu infeliciter!!) positum est, ut suam quisque linguam in scribendo adhibeat, rejecta *latina*, qua majores nostri, magistri illi praestantissimi, clarissima opera tradiderunt. — Ferendum quidem esset, si id ad objectorum descriptiones tantummodo reduceretur: sed quot naturalium rerum scriptores usque eo deveniunt, ut diagnoses ipsas genericas et specificas patrio sermone conscribant, semenque jaciant divisionis inter classem hominum studiosorum, qui linguae unius causa communicare perpetuo et coalescere debuissent!!

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05968-0137-6

Fig. I.







Fig. II.




Fig. III.

Delin. auctor.

Fig. I a, b, Agrostidium priscum Massal.

Fig. II Culmites Zignoanus Massal.

Fig. III Culmites? equisetimorphus Massal.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05968-0399-9

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1853

Band/Volume: 36

Autor(en)/Author(s): Massalongo Abraham Bartholomäus

Artikel/Article: De Gramineis in statu fossili brevis commentatio 129-133